

Pro num. 47. 1766, 1

1766, 1 20

DE
VSVRIS SEMISSIBVS

LEGE PROVINCIALI NASSAVICA

P. I CAP. IX §. 7

ITEMQVE ORDINAT. POLITICA NASSAV.

P. I §. CI NVM. II
PERMISSIS.

PROGRAMMA ACADEMICVM

QVO MEDIANTE

PRIMARIJ IVRIVM PROFESSORIS
CLEMENTISSIME NVPER SIBI DEMANDATVM
MVNVS

AVSPICATVRVS

SERENISSIMI EXCELSISSIMIQVE PRINCIPIS AC DOMINI

**DOMINI
GVILIELMI V.**

ARAVSIONIS ET NASSAVIAE PRINCIPIS RELIQ.
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

EFFVSAM IN SE BENIGNITATEM SVMMAM

PIA DEVOTISSIMAQVE INPRIMIS MENTE

VENERARI PVBLICE

ATQVE INSIMVL

ACROASIBVS HIBERNIS PRAEFARI NONNVLLA VOLVIT

WOLRADVS BURCHARDI.

HERBORNAE, TYPIS REGELINIANIS
MDCCLXVI.


**KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE**

28

B. 22

CONSPECTVS PROGRAMMATIS.

- §. I. **O**ccasio et scopus huius lucubrationis.
§. II. Argumentum eius.
§. III. De moralitate vsurarum remissione agitur.
§. IV. Controuersia de vsura semisse licita vel illicita refertur.
§. V. Argumenta pro vsu legali semissium vsurarum breuissime stabiliantur.
§. VI. Verba Legis Prou. Nassauicae P. I cap. IX § VII inferuntur.
§. VII. Similiter Legis politicae Nassauicae P. I §. CI num. II verba enarrantur.
§. VIII. Ex vtraque lege formantur axiomata.
§. IX. *Land-übliche Zinsen* indicant solas quinquages vsuras.
§. X. Sponte, citra pactum, solutae vsurae semisses, non repetuntur.
§. XI. Num in antichresi creditor quinquages, an semisses vsuras ex fructibus retinere possit?
§. §. XII, XIII et XIV. quaestio: quatenus creditori excessus fructuum ultra legitimas vsuras sit permittendus? ex Lege Prouinciali P. I cap. XVI § XVII diiudicatur.
§. XV. Status controersiae proponitur, cum auctoris sententia.
§. §. XVI, XVII, et XVIII. Rationes pro firmanda sententia auctoris recensentur.
§. XIX. Semissem vsuram in Nassauia sibi pacifens vel accipiens non est vsurarius.
§. XX. Nec per vniuersam Germaniam ob semissem vsuram poena vsurariae prauitatis obrinet.
§. XXI. In causis lege prouinciali non exceptis, saluae sunt leges imperii.



PROGRAMMA ACADEMICVM
DE
VSVRIS SEMISSIBVS
LEGE PROVINCIALI NASSAVICA
P. I CAP. IX §. VII,
ITEMQVE ORDINAT. POLITICA NASSAV.
P. I. §. CI. NVM. II.
PERMISSIS.



§. I.



uum inter innumera eaque immortalia prorsus sum-
mae benignitatis et prolixioris fauoris specimina,
quibus ab auspiciis felicissimi Imperii suam Nassa-
uiam, suamque scholam Ioannaeam beare dignatus
est SERENISSIMVS ATQVE POTEN-
TISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS DOMINVS
GVILIELMVS V. Altor Noster indulgentissi-
mus; idem quoque mihi, mediante Clementissimo Rescripto d. d.
IX Aprilis huius anni, vacuum per aliquot annos Antecef-
foris primarii in hac Academia munus gratiosissime demandasset:
piaculum omnino iudicavi immeritam hanc Salomonis Nostri pro-
pensionem sola mentis submissae contemnatione taciturna venera-

A 2

ri,

ri, tantum abest vt officii non ducerem, tantae tamque impensae beniuolentiae publice celebrandae causa, monumentum quoddam demississimae pietatis et in Serenissimum Principem patriae et academiae Patrem Clementissimum deuotionis, extruere, eoque ipso sollempnitate quadam auspiciari munus Professoris iurium primarii, cui noua aditali oratione initiari (cum per vndenos iam annos alteram iurium Professionem obierim) non fert academiae huius mos. Quod cum commodius fieri non posset, quam profusione academica; iuris patrii caput hac occasione illustrandum censui.

§. II.

Quandoquidem vero nihil magis in deliciis mihi est, provincialium nostrarum legum enucleatione, earumque cum iure Germanico communi instituta comparatione; vt tum Nassauiae nostrae proxime inferuiam, tum ad perficiendum iuris Germanici puri ex iure provinciali Germaniae sensum hauriendi systema, leniusculam meam commodem operam: eam ob rem, inuitatus programme publico, *de usuris, ultra quincunces, licet promissis, non exigendis*, quo illustri Fridericianae Erlangensis Antecessor IO IUSTIN. SCHIERSCHMIDT anno 1764 dissertationi inaugurali meritissimi Honorum Candidati D. HAVSCHILD, nomine ordinis iuridici fuit praefatus, hoc iuris controuersi argumentum ex ORDINATIONE PROVINCIALI NASSAUICA P. I cap. IV §. 7, itemque ex ORDINATIONE POLITICA NASSAUICA P. I §CI num. I et II, apprime ei quaestioni respondente, tractare apud animum constitui.

§. III.

Neque tamen limites huius lucubrationis latius pandere et controuersiam de usurarum moralitate in genere attingere lubet; qua in re, praeter alios celeberrimorum Theologorum et ICORUM

commentarios, a Perillustri Consiliario Regimin. intimo IO. GEORG. ESTOR in den Anfangsgründen des gemeinen und Reichsprocesses P. I §. 851 lit. t. pag. 298 sq., enumeratos, mihi perplacet amicissimi Viri, Dom. CAROLI AEMILII VIETOR, quantum mihi innotuit, ad huc dum Aduocari Castellani dignissimi, die X Aug. Anno MDCCCLIII Rintelii, Praefide, tum temporis Antecessore Rintelienſi, nunc Lugdunensis Almae ornamento, D. FRIDERICO GVILIELMO PESTEL, defenſa inauguralis tractatio: *repraesentans fontem errorum de odio usurarum legitimo inuestigatum et obstructum.*

§. IV.

Nec minus vniuersim meam facio controuerſiam, quae de licita in Imperio R. Germanico vsura semisse, a litteratissimo Viro, IO. GODEFR. DE MEIERN in elegantiore libro: *Gedanken von der Rechtmäßigkeit des sechsten Zinsthalers in Teutschland*, Hannoverae an. 1732 in forma quadripart. edito, in partem aientem ventilata, et deinceps in opposito scripto: *Refutation der Meierischen Gedanken* cet. in folii et quadrip. forma, ab Anonymo impugnata, atque demum ab illo in responsione: *Antwort auf die sogenannte Refutation Hannouerae 1734*, cum augmento 1735 accedente, nouis fuit stabilita argumentis; quibus multum ponderis additum fuit in Eiusdem Auctoris impresso: *Abdruck der sämtlichen am Hochpreislichen Kaiserlichen Reichsboffrath ergangenen allergerechtesten conclusorum in causa Freiberg von Kniege contra Se. Hochfürstl. Durchlaucht zu Sachsen-Eisenach, und Dero sämtlichen Landstände puncto Debiti, in specie den sechsten Zinsthaler betreffend.* Lipsiae 1737. in f. quadrip.

§. V.

Sufficit ad huius tractationis meae scopum, a) lege prouinciali et politica Nassauica semisses vsuras exacto licitas (§. VI sq.), b) eamque dispositionem in compluribus Germaniae prouinciis,

A 3

quas

quas recenset Perillustr. et Magnif. ESTOR *im Unterr.* §. 339. *Schol. III. praesertim p. 359*, et SAMVEL STRYCK *in Vfs. Mod. Dig. lib. XXII. tit. I § 11. p. 790. sq. Vol. II* edit. de an. 1745, pariter legibus fancitam, atque c) huius quidem potestatis legislatoriae aduersus leges imperii omnino capaces esse Principes Germaniae; ex quibus breuissime congestis rationibus quilibet facili negotio perspiciet, de legali vsu semillis vsurae in variis Germaniae prouinciis neutiquam esse dubitandum; praepremis quum vel sola inueterata consuetudo legibus omnino deroget, et iudicandi normam praestet. Atque hac quidem in thesi adeo perspicuae sunt leges imperii, vt et ipsae supremac in imperio litium curiae, uocant summa Imperii tribunalia, secundum *statuta, consuetudines et leges loci vel prouinciae*, unde oriunda lis est, iudicare cogantur, non obstantibus, quae alias recepta vel vsitata sunt, singularibus praediudiciis, quibus aduersus statuta, leges vel consuetudines particulares locorum vel prouinciarum vsus afferri nequit.

§. VI.

LEGIS PROVINCIALIS NASSAVICAE P. I cap. IX §. VII. verba sunt: *Trüge sichs auch zu, dasß der Entlehnmer, eine gewisse Summ Gells, als etwa fünf oder sechs vom bundert Gùlden entlehnten Capitals, zu jährlicher Pension, zu bezahlen versprochen hätte; ob dann wohl ein solches Leihen nach der Natur dieses Contractß vergeblich, und ohne einigen Aufschlag, Genieß und Vortheil beschehen solt: Jedoch aber und zum Fall iemand ein solches, wie vorstehet, versprochen und zugesaget hätte, so soll er auch dasselbe zu zahlen angebalten, und deswegen dieser Contract in kraft unser Ordnung, (quae est ipsa LEX POLITICA NASSAVICA P. I §. CI num. I et II, quam e vestigio regensebo) nicht für wucherlich geacht, noch erkent werden.*

§. VII.

§. VII.

LEX autem POLITICA NASSAVICA die VIII Martii A. R. S. c1810xcvii Dillaburgi promulgata, §. CI sequentia statuit: -
Damit dann all solchem unchristlichen Wesen (legiflator increpat vsurariam prauitatem) gesteuert, und inskünftig männiglich die mucherliche Contract einzufüllen unnd so viel da mehr verursacht wird. So haben wir der Nothdurfft erachtet, etliche Fäll aus des Heil. Reichs Abschieden zu männiglichs Nachrichtung anhero zu erholen und darauf zu verordnen, wie folgt:

I. Und erstlich, so ist dieser Contract vor mucherlich zu halten, so iemand mehr, als er ausleibet, in die Hauptverschreibung setzen läßt: - - -

II. Vors ander, so iemand mehr, als fünff, vom Hundert erbübe. Alldieweil aber bis anhero hin und wieder sechs vom Hundert genommen worden: So wollen wir dasselbige bis auf fernere Verordnung auch gestatten, aber gleichwohl ein mehreres zu nehmen hie mit ganz und gar verboten haben.

§. VIII.

Ex his itaque legibus Nassauicis (§. VII. et §. VIII.), vt viam mihi ad vltiora pandam, axiomata conficio sequentia: (A) Creditori non licere iure actionis exigere a debitore vsuras semisses, nisi ex speciali pacto; (B) nullam subesse vsurariam prauitatem, si creditor semisses vsuras a creditore acceperit; (C) ceteroquin hanc iuris prouincialis dispositionem stricte esse explicandam, et potius Leges Imperii normam generalem praestare, in causis lege prouinciali vel politica non determinatis.

§. IX.

§. IX.

Quod si igitur debitor creditori in cautione seu chirographo pollicitus fuerit vsuras ordinarias, *landübliche, gewöhnliche Zinsen*, vel etiam nullas sponderit vsuras, et eapropter hic intentionem suam eo dirigeret, vt a debitore sibi annuas semisses praestari debere contenderet: non fundata profecto est actio (§. 8. A.); sed ipsi solae quincunces adiudicantur vsurae. Teste quotidiana praxi in foris Nassauicis, tum superioribus tum inferioribus. Succedit enim ratio manifesta, quod legislator de sola ea facti specie, qua debitor vsuram semissem creditori expressa promisit, cogitauerit; adeoque praeter intentionem ac mentem legislatoris a iure communi discedere magistratibus nefas est; praepremis, quum legislator in §. CI citatae LEGIS POLITICAE disertis verbis se referat ad leges imperii, et, idcirco, dum subsequente Nro. II, eiusdem §. CI, legem correctoriam sanciat, regula in vulgus nota, quod leges corrigentes strictiorem recipiant explicationem, locum inuenire debeat (§. praeced. C.).

§. X.

Sin autem debitor sponte, citra pactum expressum, creditori quotannis semissem vsuram persoluerit, et deinceps debitor, sub specie vsurariae prauitatis, conditionem indebiti mouere non dubitaret; quaeritur an debitoris intentio fundata sit? Mihi quidem non videtur. Licet enim debitoris causa potior videri possit, vtpote qui citra pactum expressum non debebat semisses vsuras; adeoque soluendo semisses, soluit quod non debebat, quem in casum conditio indebiti incidere solet. Haec tamen debitoris causa, re penitius cognita atque inspecta, nil nisi solam venditae speciem. Finge profecto, esse indebitum; tamen inde non fluir reperendi ius. Siue enim consideres, scienti atque volenti non competere conditionem eius, quod indebite persoluit, praepremis cum nulla foenoris illiciti causa sublit (§. 19 et 20); siue ob
oculos

oculos ponas errorem iuris ex parte debitoris, qui putabat se semisses debere vsuras, non dare repetendi causam: vtroque casu conditionem indebiti exulare manifestum est. Nec obtiterit, creditorem versari in turpi causa, videlicet vsuraria prauitate; adeoque debitori conditionem ex turpi causa competere: nam in semisse vsura non subesse vsurariam prauitatem iuimus demonstratum ex ipsis perspicuis legum verbis in §. 2. lit. B, vide etiam §§. XIX et XX. Nec denique magni momenti est, quidquid obiciant alii creditorem certare de lucro captando, debitorem vero de damno vitando, et hinc debitoris potiorum esse causam; quippe vel ipsis dupondii ex HEINECCI Digestis lib. XXII tit. VI §. 146 Schol. p. 456, notum est, *lucris captatione nihil aliud venire, quam repetitionem eius, quod datum alteri est et ab eo possiderur; damni vitatorem vero indicare, conseruationem eius quod nostrum est et quod iuste possidemus.* Vnde certissime patescit, debitori, qui semisses vsuras persoluit, nullum ius a creditore repetendi id quod vltra quincunces solum est, superesse; sed praeualere causam possessoris.

§. XI.

Eadem maioris momenti quaestio ventilatur in antichresi; vtrum nempe in eadem antichresi excessus fructuum vltra quincunces, an demum vltra semisses, vsuras quotannis detrahendus, et creditori in solutionem fortis imputandus sit?

§. XII.

Prius vero quam eius rei aggrediar cardinem, monendum mihi videtur, quod LEGE PROVINCIALI NASSAVICA P. I cap. XVI §. 17 p. 65 sq. edit. 2dae, de excessu fructuum in antichresi sit dispositum: *Würden dann gleich die Güter, nach Abzug darauf gewendter Kosten, ein mehreres, als etwa die Pension, ausverlassen, so soll doch dem Gläubiger derselbig Ueberschuss, da er nicht übermässig wäre, vveleches abermals zu Erkantnuß unserer Beampten gestellt sein*

B

sein

sein soll, an der Haupt - Summ nicht abgezogen, sondern umß des Schuldners Hartneckigkeit willen, dem Gläubiger gelassen werden.

§. XIII.

XII Haec quidem decisio satis manifesta id indulget creditori vt ipsius lucro cedat modicus in fructibus perceptis excessus; et ex oppositorum ratione necessario innuit, excessum immodicum quotannis forti detrahendum, et imputandum esse, quasi debitor in tantum singulis annis creditori per partes fecerit satis. Et hac in re mecum faciunt vsus et obseruantia iudiciorum Nassauicorum.

§. XIV.

Licet enim leguleius quispiam obmouere ausr, citatam legem prouincialem Nassauicam penitus et in suo nexu cum antecedentibus et subsequētib; periodis inspectam, loqui de sola eā specie facti, qua creditor a iudice exequendi iudicati causa in bona debitoris est immissus; non itaque eam decisionem valere de antichresi pactitia: tamen prudentis ICrī, qui, prout fas est, rationem a verbis legis seingere erubescit, iudicium practicum primo obtuitu statim cognoscer Nassauicum Legislatorem a) loqui de creditore pignoratitio, qui fructus pignoris percepit, eumque b) nolle, vt debitor modicum excessum fructuum creditori imputer in solutionem fortis; atque re ipsa ad modos siue accidentia pertinere vtum a iudice per immissionem, an per conuentionem partium creditori datum sit antichreticum ius. Vix enim crediderim, iudici plus arbitrii competere in attribuendis creditorum ex re debitoris fructibus, quam ipsi debitori, rerum suarum domino et arbitro; qua in parte consentientem pariter habeo vsum Nassauiae nostrae forensē.

§. XV.

§. XV.

Hac autem præiudicali, vt loqui amant Icti, quaestione decisa et explicata, principem nunc aggredior controuersiam et sigillatim eam: qua disquiritur, vtrum creditor, qui semisses vsuras a debitore non est pactus, in antichresi et desuper ob excessum instituta querela debitoris, excipiendo ad vsum legalem semissium vsurarum prouocare eo effectu queat, vt iudex, in diiudicando et imputando excessu, non quincuncium sed semissium vsurarum normam et modum sequi teneatur? quae quidem, quoad ego video, in fauorem creditoris est dirimenda, vt huic semissium vsurarum modus negari nequeat, Rationes sunt in promru.

§. XVI.

Primo, princeps causa querelae debitoris ob excessum fructuum, quae est palliata conditio indebiti, laet in foenore illicito, vsurariam prauitatem vocant, aduersus leges a creditore admisso. Quid igitur certius, cessante vsuraria prauitate, cessare pariter repetitionem fructuum eorumue imputationem in sortem. Atqui vero in semisse vsura nullum latere foenus illicitum seu foeneratitiam prauitatem patet ex §. 8 lit. B. et §. 19 sq. Ergo, creditor iuste agit, qui ex pignore sibi antichreseos iure concesso, fructus ad modum vsurarum semissium attribui debere flagitat. In hac causa dubia enim, quum debitor omnes creditori permitteret fructus pignoris, absolum foret creditorem priuare commodo, quatenus debitor antichresin quoad excessum illicitam esse asserit, leges in sui fauorem explicandi, ea fini, vt demonstreret se non illicitum foenus exercuisse, sed accepisse vsuram in legibus permissam; cui meae asserioni praestet conditio possidentis, *L. 125 et L. 126 §. 3 D. de reg. iur.*

§. XVII.

Tum etiam altera succurrit ratio ab ipsa legislatoris voluntate petita, quam suppeditat LEX POLITICA NASSAV. cit. P. I §. CII p. 36, sequentibus verbis: *Insonderheit aber wollen wir die übermäßige Frucht - Zinsen, die, wie wir hören, von etlichen unsern Untertanen gegeben und eingenommen werden sollen, hienit als vouchertlich keinesweges zulassen, sondern zum Fall ia jemand eine gewisse Summ Gelds auf Frucht, Koblén oder Holz auszuleihen oder zu entleihen gemeint, soll nicht mehr Frucht vom Hundert, als soviel zu gemeinen Fabren zu Martini um 6 Gulden auf offenen Märckten erkaufft werden kan, genommen noch gegeben werden.* Quam sanctionem si conferamus cum quaestione §. 15 proposita, deprehendimus eosdem terminos, videlicet, a) mutuum sub conditione fructuum cer., vsurarum in vicem, praestandorum, collocatum; quod antichreseos, nisi veram et propriam antichresin subesse mauelis, naturam proxime sapit, b) de cisionem, ne quis ultra semisses vsuras sibi ex fructuum perceptione attribuat. Quid itaque clarius inde c) creditori competere ius ex fructibus antichretico iure perceptis, ad modum vsurarum semissimum legis Nassauicis probatum, sibi faciendi satis absque foeneratoris illiciti macula! Et haec ipsa est ea, quam supra §. 15 affirmando declaravi, sententia.

§. XVIII.

Accedit deinceps ratio ex iure communi s. iustiniano petita; quod saepius quaedam permittente iure retinere liceat, quae per actionem peti nequeunt; vnde argumentor, creditori in antichresi, licet non stipularus sit semisses vsuras, tamen ad modum licitum semissis vsurae fructus suo et perfecto iure sibi attribuire et retinere queat. Pauciora exempla allegasse suffecerit. a) Iure Romano debitum ex pacto nudo, licet peti per actionem non possit; tamen si sponte praestitum a promissore sit, optimo iure retinetur a promissario, L. 7 §. 4 D. de pactis. Tum porro b) licet

licet is, cuius actio praescriptione sublata est, eam instituere nequeat, tamen si id, quod ei debebatur, ab altero sine vitio sit consecutus, idem suo iure retinere potest. Denique c) quamvis creditor, ob mutuum quod filiofamilias luxuriae perfruendae causa dedit, nullam aduersus eum efficacem habeat actionem, propter SCti Macedoniani sanctionem: nihilominus tamen si sponte restitutum sit mutuum, iure illud retinet creditor, nec aduersus eundem indebiti condictio habet locum, *L. 9 §. 5 junct. L. 10 D. de Sanct. Macedon. L. 40 D. condict. ind., L. 9 D. de oblig. et actionib.* Quidni itaque creditor iusto retineret fructus in antichresi ad modum vsurarum semissium; licet actione persequendo quincunces tantum petere possit? Iura enim vigilantibus sunt scripta *L. 24 D. quae in fraudem credit.* Conf. simul ea, quae §. 10 de quaestione simillima disputavi. Vide quoque singularem facti speciem apud Perillustrem IO. HENR. DE BERGER. *P. II supplementor. ad electa disceptat. forens. tit. L p. 978*, secundum quam ICti Vitemburgenses vsuram semissem, antequam ea, per legem ordinum prouinciae anno 1628 desuper latam, permissa publice erat, solutam per vndenos annos, iustam et licitam pronuntiarunt, denegata et indebiti condictione et in fortem imputatione quoad sextum thalerum; quae species eatenus meam firmat thesin, quod, licet is creditor ante annum 1628 actione non potuisset petere semisses vsuras, quoniam legis necdum latae praesidio non poterat perfrui: idem tamen vsuras semisses acceptas iure retentionis iustissime retineret.

§. XIX.

Quandoquidem vero pactum de vsuris semissibus praestandis in Nassauia nostra haberi nequit vsurarium et illicitum (§. 8 B.), manifestum quoque est, creditorem, qui vel ex pacto vel iure compensationis in antichresi semisses vsuras perceperit, criminis illiciti foenoris neutiquam esse reum; adeoque a) nec quarta foris parte mulctari, nec b) infamiae, carceris, aut similibus, poenis, quae recenset LÜDER, MENKEN. *in systemate iuris ciuilibus secundum ordinem*

nem Digestorum lib. XXII tit. I §. 16 p. 372, teneri; qui enim legum praesidio tutus est, non delinquit, nec adeoque poenam meretur.

§. XX.

Quodsi autem in aliis prouinciis Imperii Germanici, in quibus nulla lex semissem vsuram permisit, creditor eiusmodi pactus sit vel acceperit foenus, et quaeratur proinde: vtrum is vsuarius habendus, et poenis iure imperii statutis coercendus sit? negando respondendum cenfeo. Licet enim secundum meam sententiam (§. 8 lit. C.) videri possit, leges imperii in casu deficientis legis prouincialis contrariae, saluas vbiuis manere, adeoque eum, qui aduersus illas impingit, delinquere; aequitas tamen, et necessaria in poenalibus interpretatio restrictiua contrarium docent. Quum enim maxima discriminis ratio eum, qui mordens foenus accepit, inter, et eum qui leuiorem tantum excessum, qui aliis locis licitus erat, commisit, pateat: neminem adeo hebetis iudicii fore existimo, qui vtrumque eadem grauiore poena dignum iudicarit. Quapropter, eum, qui semissem vsuram, extra prouincias, in quibus ea ex lege fluit, pactus est vel accepit, praeter nullitatem conventionis (quoad quantitatem vsuras quincunces excedentem) atque restitutionem excessus accepti, nullo adficiendum incommodo esse, constans est peritissimorum Ictorum doctrina, Magnif. et Perill. ESTOR *im Unterricht von Urtheeln und Bescheiden* §. 841. p. 361 sq. itemque *in der Bürgerl. Rechtsgelahrheit P. II* §. 3636 p. 340 sq. et laudat. ibi MICHAEL GRASS *in collatione iur. ciuilibus cum recessibus imperii* p. 386, quae secundum editionem, quam possideo, est p. 19 sq. *in Sect. VIII. differ. II*, consentiunt Perill. AVG. A LEYSER *Sp* 246 med. 9 p. 879 *Vol. IV*, IO. BALTH. L. B. A WERNHER *Vol. VI obseruat. forens. P. X obs.* 346 p. 619 edit. in form. quadrip. CARP. *in Praxi criminali P. II quaest.* 92 num. 40 sq. Perill. DE BERGER *in Elect. Discept. forens. P. II supplementor.* p. 979, LAVTERBACH *in colleg. theor. pract. lib. XXII tit. I* §. 24 p. 137 *Vol. II nouiss.* edit.

§. XXI,


§. XXI.


Quum denique leges provinciales, quatenus legibus imperii derogant, praeter verba et manifestam rationem seu intentionem legislatoris non sint extendendae (§. 8 lit. C.); profecto existimauerim 1) iure actionis, praeter casum expressae conuentionis peti in Nassauia nostra non posse semissem vsuram (§. 8 lit. A. et §. 9); 2) eas leges provinciales quamuis in magna Germaniae parte conspicuas, extra ditionem legislatoris, neutiquam valere ad generalem normam per vniuersum Imperium Germanicum, inductionis moralis ope, efficiendam; praeterquam quod ad excusationem a foenoris illiciti poena in aliis terris omnino profint (§. praeced.); 3) reliquas pactiones, quae tanquam vsurariae et illicitae improbantur legibus imperii, et lege provinciali non sigillatim ratae declarantur, manere omnino illicitas, nullas et inefficaces; quatenus nimirum legibus sunt aduersae; idque indubie constat ex LEGE POLITICA NASSAVICA P. I §. CI, in qua expressis verbis Legislator Nassauicus prouocat ad leges imperii praecedentes, ideoque saluas eas procul dubio voluit in speciebus sua lege non exceptis; quapropter etiam eadem §. CI Num. VI eo casu, si creditor quincunces tantummodo sibi stipulatus sit vsuras, et praeterea lucellum aliud sibi reseruauerit pacto adiecto, haec adiecta pactio declaratur nulla; 4) quidquid ultra semisses vsuras pactum, acceptum fuit, illicitum et improbum foenus iudicandum, idemque secundum rigorem legum imperii coercendum non modo, sed et debitori restituendum fortitue imputandum esse; 5) eum, qui in iure particulari percipiendi vsuras semisses suam intentionem ponit, id probare debere, ESTOR in der Bürgerl. R. G. der Deutschen P. II §. 3634 p. 339 ff.



Plura

Plura addere quidem animus erat. Paginarum vero et temporis ratio nunc non permittit. Nihil itaque superesse videtur, quam vt Praenobilissimos aestumatissimosque Academiae Ciues, cum primis sacrae Themidos alumnos, quam humanissime inuitem ad scholas meas hibernas frequentandas, et quidem cum *publicas*, in Illustris PÜTTERI *Encyclopaediam iurisprudentiae* vernacula lingua scriptam, atque deinceps in Consultiss. EISENHARTII *Historiam iuris litterariam*; tum *privatas*, in B. HEINECCI *Digesta*, in Excell. GEORG. LVD. BÖHMERI *Institutiones iur. Canon. et eccles. Protest.*, in Illustr. PÜTTERI breuiorem synopsis *Historiae Imperii Roman. German. an. 1764* patrio sermone editam; et denique in Perillustr. ESTOR *Anfangsgründe des gemeinen und Reichsprocesses* vel Excell. KNORRE *Anleitung zum gerichtlichen Process*, qua posteriore in Schola ita versabor, vt non principia solum ordinis iudiciarii tradere, sed et exercitia practica Dominorum Auditorum moderari, apud animum constituerim. Quidquid autem, praeter hosce labores, superfuturum est temporis, id omne et quantumcunque erit, lubens vestris, Commilitones Dilectissimi, commodis impendam. Benedicere vero summum numen academicis hisce exercitiis ex alto, saluamque, saluo Nutritore indulgentissimo, nostram praestet Academiam, precor. Scribebam e Musaeo, Herbornaе Nassauiorum die XX Octobr. A. O. R. c10cclxvi.





ULB Halle
006 398 758

3




X 2203495

Sb.

V017
VD 18







P. 20. num. 47. 1766, 1 20

**DE
VSVRIS SEMISSIBVS**

LEGE PROVINCIALI NASSAVICA
P. I CAP. IX §. 7
ITEMQVE ORDINAT. POLITICA NASSAV.
P. I §. CI NVM. II
PERMISSIS.

PROGRAMMA ACADEMICVM

P. 44.

QVO MEDIANTE
PRIMARI IVRIVM PROFESSORIS
CLEMENTISSIME NVPER SIBI DEMANDATVM
MVNVS

AVSPICATVRVS
SERENISSIMI EXCELSISSIMIQVE PRINCIPIS AC DOMINI

**DOMINI
GVILIELMI V.**

ARAVSIONIS ET NASSAVIAE PRINCIPIS RELIQ.
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI
EFFVSAM IN SE BENIGNITATEM SVMMAM

PIA DEVOTISSIMAQVE INPRIMIS MENTE
VENERARI PVBLICE
ATQVE INSIMVL

ACROASIBVS HIBERNIS PRAEFARI NONNVLLA VOLVIT
WOLRADVS BVRCHARDI.

HERBORNAE, TYPIS REGELINIANIS
MDCCLXVI.

28

